



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Mercuriani ad Pondum literae. Ibidem

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Societatis Iesu, Liber Secundus.

celsitudo, qui huiusmodi acerbitate nihil deterriti ad similia se magnis animis offerunt, quām si in vnius hominis continuata triginta annorum in lectatione, neque illorum furorem deferuisse, neq; horum ostendamus firmitatem esse debilitatam. *Ista Thomas Pondus* subiicit oculis, in quem virum neq; fortuito neq; alieno tempore incurrimus. Hoc enim anno memoratur (per eum quem olim habuerat sibi famulatē *Thomam Stephani* Romam destinatum) petjisse Societatem, & paucis post annis obtinuisse: nam inde ab extremis Indis, & vrbe Goa (quō inclinante anno septuagesimo nono *Thomas Stephani* peruennerat) factam vtrique hanc gratiam adgratulatur; Et *Mercuriani* Generalis literae ad ipsummet *Pondum* datæ, fidem faciunt anno septuagesimo octauo exente esse cooptatum: Quas literas tanquam viri optimè meriti monimentum hic adnectere visum est, lunt autem huiusmodi. " *Thomas Stephanus* frater noster nobis in Christo carissimus multa nobis narravit de constanti Dominationis Vestrae pietate, ac fide, quæ nobis pergrata fuere, ac prælertim quod iam à multis annis magno desiderio ad Societatem nostram aspiraret. Itaque etsi ita instituta nostra ferant, ut nullum nisi bene multis probatum experimentis in nostrorum numerum recipiamus, tamen & tam luculento tum Stephani, tum aliorum etiam testimonio permoti, & pro diuturna probatione tot annorum labores ac ærumnas accipientes, piis Dominationis Vestrae desideriis obsequendum duximus. Quare pro ea auctoritate quam nobis licet indignis Dominus Deus dare dignatus est, iam nunc Dominationem Vestram tanquam filium ac fratrem amplectentes, illum in Societatem nostram recipimus & admittimus, & quasi verum membrum in hoc corpus totum insertum, deinceps quoq; nostrorum omnij operum, laborum, meritorumque consortem ac partipem facimus. Speramus autem Dei clementiam atque infinitam bonitatem aliquando ita Dominationi Vestrae propitiam fore, ut eius, quod valde optamus, ex ipsis molestis ereptæ congressu ac præsentia fruileceat: quam facultatem, si eiulde prouidentia aliquibus de causis cripuerit, hoc tamen Dominationem vestram leiplam consolari volumus, quod post paucos huius breuissimæ vitæ dies in æterna illa immortalitate, quam semper spectare & ante oculos habere debemus, ita coniungemur, ut nulla nos deinceps res aut calus separare possit. De cætero etsi Dominationis Vestrae virtutem confirmatione non egere licet, quam audio esse viro Christiano planè dignam, breuite tamen ut filium carissimum monebo illis Apostoli Verbis ut meminerit *le spectaculum esse Deo, Angelis, & hominibus, Deo quidem,* ut ab eo sempiternis premiis pro minimis laboribus afficiatur, *Angelis* ut prælenti eorum auxilio roboretur, *hominibus* etiam, ut eos, quod hactenus fecit, plurimum suo exemplo ad veram pietatem accendat, & ad quævis pericula pro Christo alacriter subeunda confirmet. Quæ tamen ita à Dominatione Vestra prudenter & cautè geri cupimus, ut neque in apertum le discernem sine causa & fructu demittat, quæ non fortitudo sed temeritas existimanda est, nec valetudinem ac vires immoderata abstinentia & ieiunijs, quibus latius de-

Literæ
Mercuria-
ni ad Pon-
dum.